



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117786**

§. 16. Sacrificuli Filius convertitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

Sæculum IV. *Galilæorum profigata est, ne quidem unam  
A. C. 362. volucrem offertis; bovem, me hercle! a  
qualibet tribu, aut certe taurum totius ci-  
vitatatis nomine immolari oportuisset; so-  
lus Sacerdos de suo aliquid attulit, quem  
vestris onustum Sacrificiis domum suam  
redire æquum fuisset. Unusquisque ve-  
strum patitur, si uxores vestræ optima  
quæque ex domibus vestris auferat, & in  
Galilæos profundat, quæ dum vestris bonis  
pauperes alunt, sacrilegam impietatem fo-  
vent. Ut diem suum natalem celebret,  
quisque ex vobis bis una die lautissimum a-  
micis suis convivium parat, hac solempni  
festivitate nemo oleum igni alendo, liba-  
tionem, thus, aut victimam attulit. Nul-  
lus homo prudens tantum contemptum fer-  
ret, nihil ergo mirum, si Deos iratos ha-  
bituri estis.* Ita Julianus ad aram ante  
pedes Idoli concionabatur; at nec Sena-  
tum, nec populum Antiochenum movit  
oratio.

## §. XVI.

*Sacrificuli filius convertitur.*

*Theod. III.* **F**estum Daphnes septem diebus ageba-  
*c. 24.* tur, quibus Julianus de more publi-  
cum adornavit convivium. Sacrificulo  
duo erant filii, Templi Ministri; hi aqua  
lustrali epulas, mensæ Imperatoris infe-  
rendas, irrigabant; horum alter, prima  
die hoc munere functus, deinde auffu-  
giens,

giens, citato cursu Antiochiam venit, a Sæculum IV.  
 diitque piam Diaconissam, Matris suæ a. C. 362.  
 micam, quæ eum sæpe, ut Christianus  
 fieret, exhortata fuerat. Post Matris suæ  
 obitum nihilominus frequenter mulieri  
 collocutus, Christianæ Religionis amore  
 accendebatur; tandem interrogavit, quid  
 sibi faciendum, ut ad Religionem, quam  
 suadebat, transire posset? *Si Christianus  
 esse vis, inquit: fugiendus tibi pater tuus,  
 & præferendus est ille, qui te, & Patrem  
 tuum creavit; tunc in aliquam urbem i-  
 bis, ubi Imperatoris potentiam devites;  
 fidem tibi do meam, quod hoc curatura sim;*  
 Respondit puer: *Veniam, & animam  
 meam manibus tuis committam.* Hujus  
 ergo promissi memor ex oppido Daphne  
 se proripiens, ad Diaconissam propera-  
 vit, rogavitque, ut jam verbo staret. Ipsa,  
 nihil cunctata, eum ad S. Meletium du-  
 xit; is licentia exulibus, ut redirent, ab  
 Imperatore facta, tunc Antiochiæ erat.  
 Adductum ad se juvenem diebus aliquot  
 in quadam superiore domus cella reti-  
 nuit; interim Pater ubique filium inve-  
 stigabat, postquam Daphnem circuisset,  
 venit Antiochiam, percurrit omnes pla-  
 teas, & tandem, stans ante domum S. Me-  
 letii, videt filium suum per transennam  
 fenestræ prospicientem. Accurrit, inje-  
 cta vi extrahit, & domum reducit; ibi  
 primum fugitivum multis flagris cæcidit,

Sæculum IV. tum acus majusculas super ignem tenens, donec canderent, iis filii manus, pedes, dorsumque fodicat, tandem suo cubiculo includit, atque janua exterius repagulis munita, Daphnem revertitur. Juvenis, insolito ardore stimulatus, omnia Patris Idola comminuit, mox ejus furorem reformidans, Jesum Christum orare cœpit, ut se liberaret, *pro te enim*, agebat: *passus sum, & hæc omnia molior!* ipso sic orante, rumpuntur vectes, fores aperiuntur, & ipse secundo ad Diaconissam, Magistram suam, properat; illa adolescentem, vestibus fœmineis indutum, lecticæ suæ imponens, ad S. Meletium reduxit, qui eum in manus S. Cyrilli Jerosolymitani tradidit, quocum noctu iter ingressus, in Palæstinam delatus est. Theodoretus, qui hanc narrat Historiam, eam ex ore illius, cui hæc acciderant, audiverat, qui ætate senili sibi casus suæ juventutis referebat, addens, quod, sublato Juliano, etiam Patrem suum, illum Sacrificulum, ad fidem Christianam convertisset.

v. *Vales. hic.*

§. XVII.

*Martyres in Syria.*

*Misopog. p. 95.* Julianum Imperatorem, urbem Antiochenam, quod tota esset Christo dedicata, averfantem, aliæ civitates vicinæ solatæ sunt, nam, acceptis de restituendo Deorum